



27th Latin Summer School

January 18 to January 22 2021

Class 4 a (iv)

Tutor:

Paul Roche

Horace, *Odes* 4
(poems 1, 2, 7, 12, 15)

Paul Roche paul.roche@sydney.edu.au

Horace's *Odes* are among my (and many others') favourite poetry collections from antiquity. For this *Latin Summer School* I thought it might be stimulating and enjoyable for us to concentrate on the less well-known fourth book: his very last collection of lyric pieces. The poems were written in the period 17-13 and book 4 was released in 13 BCE, ten years after the publication of *Odes* 1–3. This collection of 15 poems revisits a number of the prominent themes of his earlier lyric: love, friendship, the symposium, the passing of time and the lessons to be drawn from this, and the political culture of Augustan Rome. These are also often self-consciously 'late' poems: they make a theme of looking back, of re-awakening lost emotions, of remembering old friendships and lost friends; and some of them stand among Horace's loftiest and most ambitious lyric compositions.

Commentaries:

- Page, T. E. *Q. Horatii Flacci Carminum Liber IV* (London 1893)
 - <https://archive.org/details/qhoratiiflaccica00hora/page/n5/mode/2up>
- Thomas, R. F. *Horace Odes IV and Carmen Saeculare* (Cambridge 2010)

An anthology of English translations:

- Carne-Ross, D. S. and K. Haynes (eds) *Horace in English* (London 1996)
 - <https://archive.org/details/horaceinenglish00hora/mode/2up>

Two book length studies on *Odes* 4:

- Johnson, T. S. *A Symposium of Praise: Horace Returns to Lyric in Odes IV* (Madison 2004)
- Putnam, M. *Artifices of Eternity: Horace's Fourth Book of Odes* (Ithaca 1986)

I hope you enjoy preparing these poems for our class, and I look forward to discussing them with you.

Best wishes,

Paul

4.1

Intermissa, Venus, diu
rursus bella moues? Parce precor, precor.
non sum qualis eram bonae
sub regno Cinarum. desine, dulcium

mater saeva Cupidinum, 5
circa lustra decem flectere mollibus
iam durum imperiis; abi,
quo blandae iuuenum te reuocant preces.

tempestiuus in domum
Pauli purpureis ales oloribus 10
comissabere Maximi,
si torrere iecur quaeris idoneum.

namque et nobilis et decens
et pro sollicitis non tacitus reis
et centum puer atrium 15
late signa feret militiae tuae,

et, quandoque potentior
largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
ponet marmoream sub trabe citrea. 20

illic plurima naribus
duces tura lyraque et Berecynthia
delectabere tibia
mixtis carminibus non sine fistula;

illic bis pueri die
numen cum teneris uirginibus tuum 25
laudantes pede candido
in morem Salium ter quatent humum.

me nec femina nec puer
iam nec spes animi credula mutui 30
nec certare iuuat mero
nec uincere nouis tempora floribus.

sed cur heu, Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas?
cur facunda parum decoro 35
inter uerba cadit lingua silentio?

nocturnis ego somniis
iam captum teneo, iam uolucrum sequor
te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, uolubilis. 40

4.2

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iulle, ceratis ope Daedalea
nititur pinnis, uitreo daturus
nomina ponto.

monte decurrens uelut amnis, imbres 5
quem super notas aluere ripas,
feruet inmensusque ruit profundo
Pindarus ore,

laurea donandus Apollinari,
seu per audacis noua dithyrambos 10
uerba deuoluit numerisque fertur
lege solutis,

seu deos regesque canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere iusta
morte Centauri, cecidit tremendae 15
flamma Chimaerae,

siue quos Elea domum reducit
palma caelestis pugilemue equumue
dicit et centum potiore signis
munere donat, 20

flebili sponsae iuuenemue raptum
plorat et uiris animumque Moresque
aureos educit in astra nigroque
inuidet Orco.

<p>multa Dircaeum leuat aura cycnum, tendit, Antoni, quotiens in altos nubium tractus: ego apis Matinae more modoque,</p>	25
<p>grata carpentis thyma per laborem plurimum, circa nemus uuidique Tiburis ripas operosa paruus carmina fingo.</p>	30
<p>concines maiore poeta plectro Caesarem, quandoque trahet ferocis per sacrum clium merita decorus fronde Sygambros,</p>	35
<p>quo nihil maius meliusue terries fata donauere bonique diui nec dabunt, quamuis redeant in aurum tempora priscum;</p>	40
<p>concines laetosque dies et Urbis publicum ludum super impetrato fortis Augusti reditu forumque litibus orbum.</p>	
<p>tum meae, si quid loquar audiendum, uocis accedet bona pars, et 'o sol pulcher, o laudande!' canam recepto Caesare felix.</p>	45
<p>tuque, dum procedis, 'io Triumphe!' non semel dicemus, 'io Triumphe!' ciuitas omnis dabimusque diuis tura benignis.</p>	50
<p>te decem tauri totidemque uaccae, me tener soluet uitulus, relictas matre qui largis iuuenescit herbis in mea uota,</p>	55

fronte curuatos imitatus ignes
tertius lunae referentis ortum,
qua notam duxit niueus uideri,
cetera fuluus. 60

4.7

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra uices et decrescentia ripas
flumina praetereunt.

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audit 5
ducere nuda choros.
Immortalia ne speres monet annus et alium
quae rapit hora diem.

frigora mitescunt Zephyris, uer proterit aestas,
interitura, simul 10
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.

damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
nos ubi decidimus
quo pater Aeneas, quo diues Tullus et Ancus, 15
pulis et umbra sumus.

quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
cuncta manus auidas fugient heredis, amico
quae dederis animo. 20

cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituere pietas.

infernis neque enim tenebris Diana pudicum 25
liberat Hippolytum
nec Lethaea ualet Theseus abrumpere caro
uincula Pirithoo.

4.12

Iam ueris comites, quae mare temperant,
impellunt animae lintea Thraciae,
iam nec prata rigent nec fluuii strepunt
hiberna niue turgidi.

nidum ponit Ityn flebiliter gemens 5
infelix auis et Cecropiae domus
aeternum opprobrium, quod male barbaras
regum est ultra libidines.

dicunt in tenero gramine pinguium 10
custodes ouium carmina fistula
delectantque deum cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent.

adduxere sitim tempora, Vergili;
sed pressum Calibus ducere Liberum 15
si gestis, iuuenum nobilium cliens,
nardo uina merebere.

nardi paruus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare nouas largus amaraque 20
curarum eluere efficax.

ad quae si properas gaudia, cum tua
uelox merce ueni: non ego te meis
immunem meditor tingere poculis,
plena diues ut in domo.

uerum pone moras et studium lucri 25
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis breuem:
dulce est desipere in loco.

4.15

Phoebus uolentem proelia me loqui
uictas et urbes increpuit lyra,
ne parua Tyrrhenum per aequor
uela darem. tua, Caesar, aetas

fruges et agris rettulit uberes et signa nostro restituit Ioui derepta Parthorum superbis postibus et uacuum duellis	5
Ianum Quirini clausit et ordinem rectum euaganti frena licentiae iniecit emouitque culpas et ueteres reuocauit artes	10
per quas Latinum nomen et Italae creuere uires famaue et imperi porrecta maiestas ad ortus solis ab Hesperio cubili.	15
custode rerum Caesare non furor ciuilis aut uis exiget otium, non ira, quae procudit enses et miseris inimicat urbes.	20
non qui profundum Danuuium bibunt edicta rumpent Iulia, non Getae, non Seres infidique Persae, non Tanain prope flumen orti;	
nosque et profestis lucibus et sacris inter iocosi munera Liberi cum prole matronisque nostris rite deos prius apprecati	25
uirtute functos more patrum duces Lydis remixto carmine tibiis Troiamque et Anchisen et almae progeniem Veneris canemus.	30